



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

11 Praesentatio ab beneficium jurispatronatus Episcopo loci Ordinario, &  
non inferiori, cessante privilegio, fieri debet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

nerum præscriptio cum tit. colorato, de quo per Gonz. *super reg. cancellar. gloss. 18. numer. 57.* sed procedit, & habet locum tantum in præscriptione unius patroni contra alium, non autem adversus ecclesias, Lambert. *de jur. pat. 2. lib. 3. art. 5. qu. 11. princip.*

9 Licet tamen Episcopis † præsentatos à patronis, si idonei non fuerint, repellere, & si ad inferiores institutio pertineat ab Episcopo, ut infra dicetur, sunt examinandi, alioquin institutio ab inferioribus facta est irrita, & inanis, ut in *eod. cap. 9. §. ad hæc.* Nec sufficit, quod præsentatus ad beneficium curatum fuerit aliàs examinatus, & approbatus ab alio Ordinario ut in *eadem decis. super cap. 9. in verb. & inanis,* & comprehenduntur Abbates, commendatarij, & quicumque inferiores quacunque exemptione muniti, etiam si ordinariam jurisdictionem haberent in locis beneficiorum, ut in *eod. decis. vers. & comprehenduntur,* & etiam Sedis Apostolicæ Nuacij, ut in *cap. 13. de reform. sess. 7.*

10 Examen verò † præsentatorum ad parochiales juris patronatus laicorum fieri debet coram Episcopo, vel ejus vicario ab examinadoribus in synodo diœcesana deputatis, tribus, non paucioribus, ut in aliis vocationibus, de quibus per concursum est providendum, ut in *c. 18. de reform. sess. 24. & ibi in decis. manuscr. §. tres. ex 13 illis,* Pius. V. in *Bull. de cell. Paroch. cap. 32.*

11 Nec † licet patrono cujusvis privilegij prætextu, aliquem ad beneficia sui juris patronatus, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem provisio, seu institutio ipsius beneficij, cessante privilegio, jure pertineat, quoquomodo præsentare, alias præsentatio, ac institutio sequitur nullæ

sunt, & esse intelliguntur, concil. Trid. *c. 13. sess. 14. d. c. 18. post. med. de reform. c. illud, & c. relatum, de jur. patr.*

2 Sufficit tamen ad parochiales juris patronatus † laicorum unum tantum præsentari, qui si minus idoneus fuerit, est repellendus ex supra allegatis, quod est speciale in jure patronatus laicorum, ut non requiratur concursus, licet possit patronus plures præsentare, ut in concursu inter eos examinentur, & ita in congreg. concil. fuit decisum, ut in *decis. super eod. cap. 18. §. cum verò institutio. sess. 24.* sed si juris patronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non ad alium pertineat, is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinadoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituat, concil. Trid. *eod. cap. 18. post. med. vers. si verò juris patronatus,* & hoc casu, † si duo æque idonei ab examinadoribus fuerint judicati, ad patronum electio dignioris spectat, ut in *d. decis. super eod. cap. in verb. judicabit.* Cum verò institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda, non ad patronum spectat electio, sed tunc Episcopus solus ex dignis digniorem eligere debet, quem patronus præsentet ei, ad quem institutio spectat, ut *d. cap. 18. post. med. vers. verò.*

Jus patronatus laicorum à jure patronatus Ecclesiastico † in aliquibus differt, quoniam patrono laico ad parochialem ecclesiam sufficit unum præsentare, ab ecclesiastico verò plures sunt præsentandi, ex supra allegatis † & licet Papa derogare possit, non tantum juris patronatus ecclesiastico, sed etiam laicorum gloss. communiter approbata in *cl. 2. in verb. Apostolicis, de preb. Abb. in cap. cum dilectus circa*